The

BIBLIOTHECA UNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS
59942 kat. komp.
III Mag. St. Dr. P

Teol. 4007.

Behm Martini: Quaestio theologica de Sanctissima Trinitate.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0002098

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

QVÆSTIO THEOLOGICA, DE SANCTISSIMA TRINITATE

Ex 1. Parte Summæ Th: D. THOMÆ Doctoris Angelici,

DVM

Reuerendus ac Venerabilis in Christo Pater,

P.F. MARTINVS BEHM,

SACRÆ THEOLOGIÆ LICENTIATVS,

Studiorum Generalium Conuentûs Cracouiensis B.V. MARIÆ in Arenis Ord: Carmelitarũ Regularis Obseruant.

REGENS;

A

Perillustri, & Admodùm Reuerendo Domino,

D.M. IOANNE RADZKI,

S. TH: DOCTORE & PROFESSORE,

Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis CANONICO, Prothonotario Apostolico, Collegiatæ SS. Omnium Præposito, Curzelouiensi Scholastico, Sacræ Regiæ Maiestatis SECRETARIO;

IN SACRA THEOLOGIA

DOCTOR

CREARETVR & RENVNTIARETVR,

Publicè ad Disputandum

PROPOSITA.

Anno Humanæ Salutis per Christum instauratæ 1680.

Lectorio DD. Theologorum Acad.

Die *Mense* *Horâ*

SVPERIORVM PERMISSV.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

59942 III

P. XXII. 30

QVÆSTIO THEOLOGICA, DE SS. TRINITATE.

VTrum in tota rerum Natura sit aliquod indiuiduum Ens, cum vera vnitate Essētiæ, veram TRINITATEM Hypostasiũm, seu Personalitatum, in sui quidditate continens, quod cognitione purè naturali attingi queat, nec ne?

CONCLVSIO I.

NOn Theologia tantùm, sed & Philosophia Aristotelis, euincere potest dari primum quoddam Ens in rerum Natura indiuidualitèr subsistens, quod sit productiuum omnis alteriûs à se Entis, & hoc dicimus esse DEVM.

COROLLARIA.

I. *Natura primi Entis siue Dei, debet consistere in Essentiæ suæ Vnitate; ita quod si, saltem de poßibili, daretur alter Deus, tunc nullus omninò in rerum Natura esset verus Deus.*

II. *Merum figmentum Atheorum est, dari infinitam seriem æternorum causantium & causatorum, ex Entibus æqualis vel inæqualis perfectionis conflatorum.*

III. *Quidquid erroneè Philosophi in Ægypto, in Græcia, & alibi terrarum, plurificari posse Deos, genere, specie, vel numero*

mero differentes crediderint: Theologi tamen, rectißimè ex omni parte, Deum vnum actu esse, & credunt, & sciunt.

CONCLVSIO II.

NOn implicat, nec rationabilitèr in primæua Ecclesia, à Paganis gentilibus exprobrabatur Christi Fidelibus, quasi impossibile creditu Mysterium Sacrosanctæ & Indiuiduæ TRINITATIS, stante Veritate Vniùs Essentiæ in sui quidditate.

COROLLARIA.

I. *De facto temerè expunxerunt Arriani ex 1. Ioann. 5. Cap. illum versiculum.* Tres sunt qui testimonium dant in Cælo, PATER, VERBVM, & SPIRITVS SANCTVS, & hi tres vnum sunt. *Nam hic modus contra Lutheranos & Caluinistas valeret, contra Catholicos nihil operatur.*

II. *Profundißimum & efficacißimum est, S. Fulgentij Lib: 1. de Fide ad Petrum Cap. 2. Argumentum contra Sabellium & eius sequaces;* Trinitas vera non esset, si vna eademq; Persona diceretur Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.

III. *Quomodocunq; explicetur Subsistentia, à Scholis Catholicorum etiam, & aliter Enti Increato, aliter verò Entibus Creatis competere posse adstruatur; non præiudicat quidquã Subsistentijs Diuinis Relatiuis, siue Relationibus, quibus Tres Personæ Diuinæ formalitèr constituuntur.*

CONCLVSIO III.

PRæcisâ Reuelatione Diuinâ, qua nobis Certissimum est Mysterium SS. TRINITATIS; hoc, cognitione purè naturali attingi nequit.

CORO L L A R I A.

I. *Quandoquidem Cognitio Altißimi huius Myſterij in Platone, & alijs Philoſophis, qui S. Scripturam & Libros Sybillinos legerunt, fuerit nimis obſcura, & ferè nulla; rectißimè Doctor Angelicus hîc docet ab Antiquis Philoſophis, nihil fuiſſe de hoc Myſterio cognitum. Iſraëlitis duntaxat, etiam implicitè dictũ propter periculum Idololatriæ:* Audi Iſraël DEVS tuus, DEVS vnus eſt.

II. *Cognitione Supernaturali, ſiue per Reuelationem Diuinam Immediatam vel Mediatam, poteſt cognoſci Ineffabile hoc SS.* TRINITATIS *Myſterium, prout de facto nunc à nobis cognoſcitur in Eccleſia Catholica.*

III. *Suppoſitâ iam SS.* TRINITATIS *Reuelatione, pro illius non repugnantia in Diuinis, adferri poſſunt nonnullæ congruentiæ in Creatis; ex quibus Intellectus Creatus, quaſi naturalitèr deuenire poßit in Cognitionem Vnius Trinitatis & veræ Perſonarum; Cui Honor & Gloria in æternum, Fiat, Fiat.*



Sub Feliciſſimis Auſpicijs

Magnifici, Perilluſtris, & Admodùm Reuerendi Domini,

D. M. ALBERTI
PAPENKOWICZ VSTIENSIS,

S. TH: DOCTORIS ac PROFESSORIS, PROTHONOT: APOSTOLICI, Eccleſiæ Collegiatæ S. FLORIANI PRÆPOSITI, Contubernij Staryngieliani PROVISORIS, Theologicæ Facultatis DECANI, Almæ Vniuerſitatis Cracouienſis PROCANCELLARII,

ac interea

RECTORIS Vigilantiſſimi.